DESCRIPTIO LVCIDISSIMA METHODVS, AT QVE DOCTRINA DE NOTIS DIS tinguendæ orationis, Auctore Martino Stephano Grammatico, & Philoſopho Doctore:

Cui adiectæ ſunt interrogationes quatuor ad polite loquendum per neceſſariæ.

(?)

34-10-A-?



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Ex officina Petri Puig, Ilerdæ, Anno 1593.

Digitized by Google

4 10 A 3

CANDIDO LECTORI MARTINVS STEPHANVS SECVNDA PHI. LAVREA DECORATVS.

S. P. D.

ETiam ſi mihi facilè perſuadeo (candide lector) nonnullos hoc meum miraturos conſilium, quod in tāta hominū, atq; virorum vbertate, qui varie fortaſſe, diligenterq; antea de notis diſtinguendæ orationis, & emendati ſermonis præcepta ſatis ampla, copioſaq; tradiderunt: ego potiſsimum auſus temerario conſilio, & ſacrilego conatu hanc diſciplinam in hac de re cōminiſci: de quo tamen prius excuſandum puto, quàm rem planè diuinā ſubolfacere videar. Cum ſciam quàm plurimos præceptiones huius artis in ſeriem digeſiſſe, quibus, vel antiquitas iam ſuffragata eſt: hos, inquā, ſummo animi ardore veneror, colo, atq; obſeruo vt pote Diuum Iſidorum, Marcianum Capellā, Antonium Nebriſſenſem virum vndequaq; ampliſsimum, & alios, quos ſub velaminis ſilentio inuoluo. At inter iuniores (quorum maxima eſt

caterua, ſolum magiſtrum meum Ioanem Dordam, cui literæ plurimum debent, ſeligendũ eſſe putaui, qui hac in re pertractanda bonas horas, ſummáſq; vigilias ponere non dubitauit. Poſtea vero quam ab hoc vberrimo fonte hanc methodum, tam præclaram, tam munitam, tã accommodatam, tam illuſtrem didiſci: cœpi pronuntiare nihil ornatius homo liber, nihil pulchrius, nihil accommodatius perdiſcere potuiſſet, quã ſi hanc probè ſatis calleret, Etenim ſtuperet animus ſi ſolem ſuo ſplẽdore orbatum videret, quis dubitat? quis inficiatur? quis eſt malus animus, qui neget? Ita quidem rapieris in admirationẽ, ſi orationem ſine notis diſtinguendæ orationis (quæ lumina ſunt) orbatam cerneres. Quis ex omnium mortalium genere potuit videre aurum rubigine plenum? fuit mare ſine aqua? Profecto ita velim tibi perſuadeas, quod homines in denciſsimis ſyluis vitam traducentes eiuſmodi videre potuerunt, videlicet imperiti, craſsi, ingenio tardi: at vero quis liber homo, & ingenuus in hoc officio (humaniſsime lector) poſitus eſt? Vt autẽ ſe habet aurum ad ſplendorem, & mare ad aquã: ita quidẽ oratio ad notas diſtinguendæ orationis ſe habebit neceſſe eſt. Neſcio quid mœroris

accidit erga [illegible]orum pectora, qui fixo pede aſſe-
uerare audent, hanc methodum de notis diſtin-
guendæ orationis, non multum emolumenti in
ſeſe obtinere: at uero valeant, qui aliorum labo
res genuino rodere dente non ceſſant. Quamo-
brem in hanc ſententiam ſcriberem plura, niſi
te tua ipſius ſponte incitatum viderem: atq; hoc
quicquid attigi, non feci cauſa tui inflamandi,
ſed teſtificandi amoris mei erga tuam in me be-
neuolētiam. Recuſaui in medium ponere tabe-
llam: nè, dum breuitati ſtuderem, admodũ diffu-
ſam videar coartaſſe materiam: vt ſterili compē
dio, nihil ad integram ſcientiam lectorem con-
tuliſſem. Etenim aliàs laté, & copioſè recordo-
ſcripſiſſe; ita tamen, ne ſuperflua vbertas ſermo-
nis memoriam lectoris confunderet. Si quid au-
tem a nobis in ſuſcepto negotio commodè tra-
ctatum eſt: malo id lectoris iuditio laudari, quã
noſtra prædicatione iactari. Tu tamen induſtria
tua petulantiæ noſtræ crimen excuſabis, vel lau-
di ſi quid meretur in me contuleris. Te (lector)
hûc aduenisse doctum gaudeo, ſed doctiorem re
cedere puto. Benè vale vna cum omnibus com-
militónibus tuis Barcinonenſibus.

HÆc autem notio propoſitionis, & momentum magnum habet de notis diſtinguẽdæ orationis: hoc cognoſcere magni conſilij eſt, & tanquam ſagittarij ſignum intuentes: facilius, quod noſtri officij in oratione eſt conſequemur. Quocirca coniunctiones ſeu vincula periodorum contemplabimur. Deinde, quæ valere videntur ad eiuſmodi comparandam. Tertio, notas aſſignabimus. Quarto præceptiones ſcitu plane dignas auſpicabimur. Cõiunctio eſt pars orationis indeclinabilis, quæ diuerſas orationis partes cõnectit, aut duas orationes totas. Antonius Nebriſſenſis cum pueris, qui victitant lacte, peregit: nos vero cũ grandioribus qui carnes, & cibum ſolidum deuorant, tractabimus. Quoniam tria ſunt vocum genera, quæ coniunctionibus copulari poſſunt: iccirco tria ſunt genera coniunctionum. Aut enim cõnectuntur duæ voces ſimplices, aut duo membra, aut duæ orationes totæ (aut libri diuerſi) ad periodum efficiendam. Primi ſunt copulatiuæ, & diſiunctiuæ quæ omnes copulatiuæ nuncupari ſolent a Grammaticis illuſtribus. Copulatiuæ ſunt que, &, ac, quoq;, atq;, & aliæ, quæ harum vim obtinent. Diſiunctiuæ ſunt aut, vel, ſiue, ſeu. Secundi ſunt

aduerſatiuæ quãquam, tametſi, etſi, licet: quibus ſemper reſpondet tamen, præſertim in redditione. Conditionales ni, niſi, ſi. Siquidem, quod, & quia cauſales. Subcontinuatiuæ quando, quando quidem, quoniam, quatenus. Adiunctiua ne, Finalis vt. Tertij ſunt rationales nã namq; enim, etenim. Continuatiua autem, & reliquæ. Illatiuæ igitur, ergo, quamobrẽ, quo circa, qua propter. Diſcretiuæ vt, attamen, ſed, ſedtamẽ, veruntamẽ Hæc breui oratione de cõiunctionibus ſufficiãt hactenus. Ad hãc formam pertinent non nullæ voces redditiuæ, quæ mutuo inuicem ſibi in oratione reſpondent. Sunt autem ita vt, adeo vt. Tã quam, tot quot, tantum quantum, tantiſper dũ, tantiſper donec. Multo magis, multo minus, magis quam, æque atque, cum tum. Tum repetitũ primo, & ſecundo loco, tertio tum etiam. Exempli gratia pater tuus, tum doctus, tum ſapiens, tũ etiam perhumanus habetur: & de alijs vocibus, ſi quæ tales ſunt.

Inciſum eſt pars membri. Virgilius quinto Aeneidos. Occurrit tellus, cællum vndiq;, & vndiq; pontus. Membrum vero eſt oratio, quæ conſtat verbo finito, & alijs partibus orationis, quæ ab eo reguntur ante, & poſt. Idem. Quidue, pater Nep-

Digitized by Google

tunc, paras? Sic deinde locutus. Membr[illegible] aliud in periodo, aliud extra periodum positu[illegible] Membrum extra periodum, planum ſenſum e[illegible]icit. In periodo poſitum, non ita plenum ſine periodo. Membrum fractum, aut cõtinuum. Conti[illegible]um nullis cõſtat inciſis. Vt Prudentius nobilis[illegible]us Poëta Cæſarauguſtanus in laudem Eulaliæ. Germine nobilis Eulalia. Fractum verò appellant, quod pluribus membris conflatur. Aut in viſceribus continui aliud continetur, quam rationem diſtinguendæ orationis ad parentheſim reuocamus. Cæſar de bello Gallico libro. 7. Celeriter ſibi Senones, Pariſios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemonices, Andes, [illegible]que omnes, qui Oceanum attingunt, adiungit. Periodus autem eſt oratio, quæ conſtat pluribus membris aliquo vinculo copulatis. Exempli cauſa Cicero officiorum tertio. Sed cum tota Philoſophia mi Cicero frugifera ſit et fructuoſa, nec vlla pars eius inculta ac deſerta ſit aut nullus in ea feracior locus eſt, nec vberior: quam de officijs, a quibus conſtanter, honeſteq; præcepta deducuntur. Vincula autem periodorum ſunt coniunctiones ſecundi, aut tertij generis, quas primo loco explanauimus, quæ in principio, aut paulo poſt

con-

conſiſtunt: at in illo, & in hoc vtere tuo iuditio
Sex ſunt numero notæ diſtingendæ orationi
punctum periodi, & orationis, admirationis pu
ctum, interrogationis, inciſum, geminatum pun
ctum: parenthesis: quæq; omnia ſic elaborat
ſunt. ! ? , : ( ).

Præceptiones eiuſmodi ſunt, quibus ponimu
extremam manum. Poſt orationem plenam,
amplam & perfectum ſenſum conficiat, punct
ponere non dubitamus: hac vero differentia:
periodus, aut oratio punctũ periodi. Si admira
tio, admirationis punctum. Si interrogatio, inter
rogationis punctum. Ante coniunctiones primi
generis, quæ ſunt diſiunctiuæ, & copulatiuæ, & a
te relatiuum qui quæ quod, niſi hoc in principio
periodi comperias: tunc enim uero inciſum pon
mus. Poſt multa nomina, poſt multa verba, qu
aliquo numero comprehenduntur (aut aliqui
ſimile) tunc, inquam, inciſum ſtabilimus: Si in
oratione fuerit uerbum fractum, quod neceſſa
rio aliud continet in viſceribus: tunc in illo, quo
continetur, inciſum in principio, & fine poner
debemus. Inter propoſitionem & redditionem
geminatum punctum, ponendum iudicamus
Aut ſaltim quotieſcumq; oratio eo peruenit, v

deinceps aliquid ſequatur, ſine quo ſenſum plenum efficere non poſsit. Parentheſis interpoſitio eſt orationis, aut ſaltem ſimplicis dictionis. Aut vero eſt interpoſitio, qua poſita, aut de medio ſublata: nihilominus ſenſus orationis conſtat: q̃madmodum in epiſtola noſtra luce Phœbea clarius apparet, & de admirationis nota. Quoniam autem nõ ſolum periti medici eſt ob oculos ponere, quæ ſalubria ſunt, & quæ optimum corporis ſtatum conſeruant: verum etiam venena, & inſalubria docet ſummo ſtudio eſſe fugãda: propterea eiuſmodi doctrinæ defectus commoſtremus paucis. Inter ſubſtantiuum & adiectiuum nihil ponimus, inter nomen & verbum, inter relatiuum & antecẽdens, quod caute percipias: deniq; inter partem vnam orationis, quæ ab alia regatur. Hæc habuimus de notis diſtinguendæ orationis, breui omnia qua potuimus oratione perſtrinximus.

AD LECTOREM CANDIDVM CARMEN.

Aſpice iam, lector, luſtra: quia grata videbis.
Hoc eme compertum ſertilitatis opus.
Exijt ad lucem modo, quod Martinens autor,
Non tamen edendi promptior ipſe fuit.

Digitized by Google

DE ACTIONIBVS LOCI, QVAS INTERROGATIONES

alimus politi, dixerunt, aſtricta ponderatio Martini Stephani Grammatici & Philoſophi docto-ris.

INterrogatio eſt rei dubię, vel tanquã dubię facta petitio. Actiones loci quatuor ſunt vbi, vndé, quó, & quá, quę loca quęrunt quatuor iſta: vbi, id eſt, in loco, quó ad locum, vndé de loco, quá per locum quęrit audactèr. In actione in loco ſemper ineſt quies, in reliquis tribus ſemper motus, aut latens, aut apertus: ſed manifeſtius. Vbi quietē quęrit, vnde principium motus, quô finê, quâ medium.

ACTIO LOCI IN QVO.

IN actione vbi ſunt nomina, aut aduerbia. Aduerbia hic, illic & reliquá. Nomina ſunt propria, vel addellatiua, Propria ciuitatũ, & oppidorum, & pagorum, ſecundę primę ve inflectionis, quę in genitiuo collocantur: vt ſtudiu Ilerdę, Perpiniani

piniani militabo. Si tertię aut pluralis numeri in caſu auferendi remota prępoſitione: vt Tarracone literis nauabo operam, Pariſijs legi philoſophiam. Quatuor vt poſthumus, domus, militia, bellum aliquandó vt propria vſurpantur. Rus in datiuo, vel ablatiuo collocatur. In appellatiuis & loci maioris nominibus, & maximis partibus alia eſt habenda ratio: nam in ablatiuo cõaptantur interueniente prępoſitione: vt ſum in Europa, in Gallia fui creatus doctor, in templo declamaui, in foro obuiam factus eſt mihi.

ACTIO LOCI A QVO.

PAriter per aduerbia, & nomina reſpondebimus: ſunt autem aduerbia hinc, illinc. Nomina propria vrbium, oppidorum, pagorum in ablatiuo remota prępoſitione: vt Gerunda venio, Barcinone. Appellatiua in ablatiuo interueniente ex, de, e prępoſitionibus: nempé ex foro, ex vinea, agro, ex Gallia, Germania, Academia. Humus, domus, militia ferè vt propria vſurpantur.

ACTIO LOCI AD QVEM.

Illud

ILlud confine eſt per nomina, & aduerbia ſatiſfacere: & aduerbia ſunt húc illuc. Nomina propria, quę ſunt vrbium, oppidorum, & pagorum in acuſatiuo ponentur: confero me Gerundam, Balagarium. Appellatiua, & maxime mundi partes in eodem caſu interueniente prępoſitione ad vel in: quemadmodum confero me in ſyluam, in templum, in agrum, ad forum, ad Galliam, Ethicam. Non eſt ſilentij velamine pręterreundum (peto) ſiue appelatiuum, ſiue non accuſatiuū flagitat ſine præpoſitione: vt peto templum, campum Academiam: in hac actione idem de quatuor illis nominibus indicandum.

ACTIO PER QVAM.

DEnique in hac aduerbia ſunt hác illác. Nomina propria collocantur in ablatiuo: vt Gerunda tranſiturus, Balneonis. Appellatiua in accuſandi caſu intercedente per: vt per forum tranſibis, per templum, vineam, Galliam, Italiã, & illa quatuor nomina ponderanda.

CAVTIO PECVLIARIS.

Digitized by Google

LOCI

SOla nomina ciuitatum, oppidorum, & pagorum ſunt propria: omnia alia appellatiua ſũt quęcumque in mentem veniant & oculis intueantur. Hactenus de quatuor actionibus localibus.

FINIS.

V. Margalef Com. S. inqui.

V. I. Margalef Camſ. Vni.

V. Thomas March R. Vni.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

34.10.A 3 | 2

LIBELLVS AD-NOTATIONES LOCALES

Vbi, Quo, Vnde, Qua Quorſum & Quouſque continens omnibus grammaticę tironibus perutilis, authore Ioanne Trigall Podiceritanenſi.

PRAEFATIO

RATIONI conſonum, congruumq; eſſe, antequam aduerbiorum localium explicationem aggrediamur, non nulla ad eorum intelligentiam, maxime conducentia, in medium proponere, in animam induxi meum. Quid videlicet aduerbium locale, & quotuplex, & id genus alia. Eſt imprimis aduerbium locale, quod determinat verbum. Eſt duplex vnũ interrogatiuum, & reſponſorium alterum. Aduerbia interrogatiua ſeu quibus interrogamur ſenario numero comprehenduntur. Vbi Quo, Vnde, Qua, Quorſum & Quouſque.

Digitized by Google

Nomen proprium eſt quod vni tantum competit eſtq; duplex loci maioris proprium & loci minoris. Per nomina propria locorum maiorum Intelligimus nomina prouintiarum aut regnorum, inſularum & regionum: vt Aſia, Africa, Europa, Hiſpania, Gallia, Italia, Maiorica, Sardinia, Lesbos, Gotholonia, Roncilio, Ceritania, &c.

Per nomina propria loci minoris intelligenda veniunt nomina vrbium, oppidorum, ſeu pagorum: vt Illerda, Roma, Barcino, Minoriſa, Perpinianum, Podiceritanum, Cardona, &c.

Nomina appellatiua ſeu comunia ſunt quæ ex ſua natura poſſunt multis conuenire vt gymnaſium, templum, iter, vinea, forum, Ciuitas, oppidum, &c. Quibus expoſitis ſermonem noſtrum ad primum aduerbium locale vbi conferamus.

Digitized by Google

¶ *De prima Interrogatione locali.*

V B I.

VBI differentiam loci importat, in quo aliquis eſt ibiq; operatur actionem, cui duobus modis reſpondere poſſumus, vel nominibus, vel aduerbijs, ſi nominibus, vel proprijs, vel appellatiuis, ſi proprijs, vel locorum majorum, vel minorum, ſi reſpondemus per nomina propria locorum maiorum, aut per appellatiua, poſt quecunque verba ratione quietus in ablatiuo precedente in collocantur. Vt in Aſia nũquam fui, in Italia ſępe in Maiorica ſępius, in templo vero ſępiſsime. Si reſpondemus per nomina loci minoris vel ſunt primę vel ſecundę declinationis vel tertię, aut per numerum pluralem tantum declinata: ſi ſunt primę vel ſecundę declinationis, ponuntur in genitiuo vt Perpiniani eſt pręſidium in expugnabile, Illerdę vero ſchola frequentiſsima. Si per tertiam aut per numerum pluralem tantum flectuntur, in ablatiuo ſine prepoſitione collocantur & raro in datiuo, vt Barcinone Philoſophiam audiui, Pariſijs vero ſacroſanctam Theologiam.

Adnotatio Prima.

HEc ſex nomina humus, domus, militia, bellum, terra, & toga licet appellatiua ſint priuato tamen latinę linguę priuilegio poſt verba quietis in genitiuo ponuntur ac ſi eſſent propria loci minoris primę vel ſecundę inflectionis vt domi, belliq; ſemper tibi adero. Aduertendum tamen eſt huic genitiuo, domi, hec ſex adiectiua adiungi poſſe, & non alia, meę, tuę, ſuę, noſtrę, veſtrę & alienę. Vt malo domi meę quiete viuere quam cum periculo alienę. Quod ſi alia adiectiua adhibemus debet mutari in ablatiuum media prepoſitione. In vt in domo paterna in domo publica priuata. Et ſi adiungimus ſubſtantiua debet poni in genitiuo vt ſum domi Ioannis, domi ciuitatis, &c.

Adnotatio Secunda.

HOc nomen rus appellatiuum poſt eadem verba in datiuo, vel in ablatiuo, ſine prepoſitione collocatur vt qui ruri nati ſunt auſteriores ſunt quam qui in vrbibus.

Adnotatio Tertia.

NOmina perſonarum in accuſatiuo mediante prepoſitione apud ponuntur vt cenaui apud Petrum apud Franciſcum, &c. Si aliquando nomina propria locorum maiorum vel nomina appellatiua in eodem caſu collocantur dicendum eſt

fieri

Digitized by Google

fieri per figuram enalegen vt Teren. in andro modo apud forum de Dauo audiui ideſt in foro.

Adnotatio Vltima.

HOc etiam eſt aduertendum poſſe nos congruè & latinè dicere ſum prope Italiam, iuxta templum circa gimnaſium, ſub pauimento,&c.

Si reſpondemus per aduerbia hijs vtimur.

Hic	*Aſsi*
Iſthic	*Aqui*
Ilhic	*Alli*
Intus	*Dins*
Foris	*Defora*
Ibi	*Alli*
Ibidem	*Alli matex*
Ibi vel ali vbi	*En altre lloch*
Alicubi.	*en alguna part.*
Vſquam vel vſpiam	*en algun lloch.*
Sicubi	*Si en alguna part*
Necubi	*En ninguna part*
Nullibi vel nuſquam	*En ninguna part*
Petegre	*Lluny*
Paſsim	*De pas en pas*
Vbi	*Hahont*
Vbique	*Hahont ſe vulle*

Nuſ-

Nuſquam non	*En algun lloch*
Vtrobique	*en vn lloch y altre*
Vbi vis vel vbilibet	*ahont ſe vulle*
Vbicunque.	*ahont ſe vulle que*
Vtro vbi.	*a vn lloch y altre*
Supſus	*.deſotà*

¶De *Interrogatione Secunda.*

QVO.

QVO, ſignificat differentiam loci, ad quem aliquis proficiſsitur, cui duobus modis reſpondere pos ſumus vel per nomina vel per aduerbia, ſi per nomina propria locorum maiorum, aut appellatiua, poſt quecunque verba motum ad locum declarantia ponenda ſunt in acuſandi caſu prepoſita prepoſitione In, vel ad, vt proficiſcor ad Italiam, poſt in Sardiniam, deinde vero reuertar ad giminaſium.

Si reſpondemus per nomina propria locorum minorū cuiuſcunque ſint numeri aut declinationis ponimus ipſa in eodem caſu ſed omni prepoſitione ablata vt Barcinonem pergo vt illich Piloſophiam imbibam deinde Pariſios vt ibi doctior cu[illegible]am.

Digitized by Google

Prima Adnotatio.

RVs & domus appellatiua cum ſint in accuſatiuo collocantur ſine prepoſitione ac ſi eſſent propria locorum minorum vt eo domum ilhinc proficiſcar rus.

Adnotatio Secunda.

NOmina perſonarum poſt eadem verba motum ad locum deſignantia in accuſatiuo ponuntur mediante prepoſitione ad, vt eo ad Petrum ad Ceſarem, &c.

Si reſpondemus per aduerbia vtimur hijs.

Huc vel hoc	*Aſsi*
Iſthuc vel iſto	*aqui*
Illhuc vel illo.	*Alli*
Intro	*Dins*
Foras	*Defora*
Eo	*Alli*
Eodem	*Alli mateix*
Alio	*En altre lloch*
Aliquo	*En algun lloch*
Quoquam vel copiam	*a dalgun lloch*
Si quo	*Si en algun lloch*
Nequo	*En ningun lloch*
Nuſquam	*En ningun lloch*
Peregre	*Lluny*

Quo-

Quouis	*A hont ſe vulle*
Quolibet	*A hont ſe vulle que*
Vtro	*Al vn lloch y laltre*
Neutro	*En ningun lloch*
Quoquo	*A tot lloch*
Quocunque	*A hont ſe vulle que*

¶ *De tertia Interrogatione*

VNDE.

VNde, exigit locum à quo aliquis diſcedit, cui ſi per nomina propria locorum maiorum aut appellatiua reſpondemus illa poſt quelibet verba motum de loco ſignificantia ponimus in ablatiuo intercedente aliqua harum prepoſitionum a, ab, abs, e, ex, vel, de, vt multi ex Flandria pictores peritiſsimi prodeunt ex Italia muſici ex Hiſpania milites ab ſcholis vero homines eruditiſsimi. Si reſpondemus per nomina locorum minorum propria cuiuſcunq. fuerint numeri & declinationis in ablatiuo etiam ponuntur nulla prepoſitione interpoſita, vt multi Illerda redeunt iuris prudentię laurea condecorati.

Adnotatio Prima.

Hęc

Hęc duo nomina appellatiua rus, & domus in ablatiuo ſine prepoſitione quemadmodum nomina propria locorum minorum collocantur. Vt venio domo licet diſceſſerim rure.

Adnotatio Secunda.

NOmina perſonarum in eodem caſu ponuntur cum prepoſitione a, vel ab, vt venio à Petro venio ab Antonio.

Aduerbia huius interrogationis ſunt hæc.

Hinc	*De aſsi*
Iſthinc	*De aqui*
Ilhinc	*De alli*
Intus	*Dedins*
Foris	*De fora*
Inde	*De alli*
Indidem	*De alli mateix*
Aliunde	*De altra part*
Alicunde	*De alguna part*
Sicunde	*Si de alguna part*
Necunde	*De ninguna part*
Superne	*De dalt*
Inferne	*De baix*
Vndique	*De tot lloch*
Celitus	*Del cel*
Peregre	*De lluny*

Vndeuis, vel vndelibet	*De hont ſe vulle*
Vtrinque	*De tots dos llochs*
Vndecunque	*De qualſeuol lloch*
Eminus	*De lluny*
Cominus	*De prop*

¶ *De quarta Interrogatione.*

QVA.

QVA ſignificat differentiam loci, per quem aliquis tranſit cui, ſi per nomina appellatiua aut loci minoris propria reſpondemus, poſt verba motum per locum ſignificantia collocamus ea in accuſatiuo interueniente prepoſitione, per, vt Roma reuertentes per Galliam, aut per mare iterfacere ſolent.

Si autem reſpondemus per nomina propria locorum minorum cuiuſcunque fuerint ordinis & numeri in ablatiuo ſine prepoſitione collocantur. Vt Valentiam proficiſcendi Dertuſa eundum eſt vna cum duobus appellatiuis rus & domus vt rure, domoq; tranſeo.

Si per aduerbia reſpondemus hæc ſequuntur.

Hac	*Per aſsi*

Iſthac

Iſthac	*Per aqui*
Illhac	*Per alli*
Eo	*Per alli*
Eodem	*Per alli mateix*
Alia	*Per altra part*
Aliqua	*Per alguna part*
Siqua	*Si per alguna part*
Nequa	*Per ninguna part*
Quamuis	*Per hont ſe vulle*
Qualibet	*Per hont ſe vulle*
Vtraque	*Per tots los dos llochs*
Neutro	*Per ningun lloch*
Quaqua	*Per hont ſe vulle*
Quacunque	*Per hont ſe vulleque*

De quinta Interrogatione

QVORSVM.

QVorſum ſignificat locum verſus quē aliquis proficiſcitur cui ſi nominibus reſpondemus quecunque illa ſint vel propria locorum maiorum, vel minorum aut appellatiua bifariam ponimus in accuſatiuo primo poſtpoſita prepoſitione verſus, per Anaſtrophen figuram, vt eo Italiam verſus, Barcinonem verſus Iller-

dam

dam verſus, & ciuitatem verſus. Secundo vero precedente ad, vel in & verſus poſtpoſita, vt iter facio in Galliam verſus poſtea in Pariſios verſus.

Adnotatio.

HOc tamen adnotandum eſt, nomina propria locorum minorum frequentius poni in accuſatiuo ſine prepoſitione in, vel ad, Vt eo Barcinonem verſus: nomina vero propria locorum maiorum aut appellatiua ponuntur ſemper cum prępoſitione in, vel ad vt eo in templum verſus.

Aduerbia ſunt quæ ſequuntur.

Horſum	*Enuers ahont jo eſtich*
Iſthorſum	*Enuers ahont tu eſtas*
Illorſum	*Enuers ahont aquell eſta*
Aliorſum	*Enuers altra part*
Alicorſum	*Enuers alguna part*
Sicorſum	*Si enuers alguna part*
Necorſum	*Enuers ninguna part*
Surſum	*Enuers amunt*
Deorſum	*Enuers auall*
Dextrorſum	*Enuers ma dreta*
Siniſtrorſum	*Enuers ma eſquerra*
Leuorſum	*Enuers ma eſquerra*
Vtroqueuerſum	*Enuers tots dos los llochs*

Rurſum

Digitized by Google

Rurſum vel retrorſum	*enues atras*
Prorſum	*enues auall*
Introrſum	*enues dins*
Quoquouerſum	*enues tot lloch*
Quorſumcunque	*enues ahont ſe vulle que*

De Sexta & vltima Interrogatione.

QVOVSQVE.

QVouſque ſignificat locum ad quem vſque aliquis peruenit ſeu peruenire in animo habet cui ſi per nomina vrbium & oppidorum reſpondemus ponimus ipſa in accuſatiuo cum prepoſitione vſque poſtpoſita vt eo Barcinonem vſque.

Si vero reſpondemus per nomina propria locorum maiorum aut appellatiua in eodem caſu ponuntur ante poſita tamen prepoſitione in, vel ad, & vſque poſtpoſita vt pergo in Italiam vſque ad forum vſque.

Si per Aduerbia reſpondemus hijs vtimur.

uſque	*Fins aſsi*
cuſque vel iſtouſque	*Fins aqui*
uſque vel illouſque	*Fins alli*
ue	*Fins alli*

Aliquo

Aliquo vſque	*fins en algun llac*
Intro vſque	*Fins a dins*
Foras vſque	*Fins defora*

Adnotatio communis.

QVidam grammatici docent, nomina propri locorum minorum ſequi conſtructionem nominum appellatiuorum, ſeu propriorum locorum maiorum, ſi illis adiungimus aliquod adiectiuum poſt quęlibet verba differentiam loci ſignificantia vel quietem, vt in Barcinone ditiſſima Philoſophię inſudamus, vel ad quem, vt iter habeo ad Perpinianum fortiſsimum, vel ex quo vt ex Valentia nobiliſsima digreſſus ſum vel per quem, vt per Illerdam antiquiſsimā tranſiui.

Concluſio.

HEc ſunt quę de interrogationibus localibus dicenda habui, ab optimis probatiſsimisq; ſcriptoribus conſcripta, quibus ſi illi qui prima grammaticę limina attigerint ſuum animum conſecrabunt magna fructuum copia eis ſuppeditabit, & vt recta procedamus via omnia hoc in tract contenta, ſub correctione ſanctę matris Eccleſi linquuntur & melioris iudicij.

LAVS DEO.

Digitized by Google

NOs don Raphael de Rouirola Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Barchin. Epiſcopus regius Conſiliarus tenore præſentis Committimus admodum Reuerendo domino Franciſco Pons S. T. D. canonico eccleſiæ Barcinonæ quatenus videat legat & recognoſcat huiuſmodi libellum & de eius recognitione nobis in ſcriptis fidem faciat Datt. in noſtro Palatio Epiſcopali Barcinonæ die. 5. Ianuarij. 1607

R. Epiſ. Barcinon.

EGo Franciſcus Pons, ex commiſsione admodũ illuſtris ac Reuerendiſsimi Epiſcopis Barcinone, per legi hunc libellum continentem adnotationes locales editum à Ioanne Trigall, & nichil inueni fidei noſtrę aut bonis moribus diſſonũ ſed per vtilem omnibus Grammaticæ ſtudioſis, ac proinde dignum, vt typis mandetur die 9 Menſis Ianuarij. 1607.

Pons.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google